


BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVI

5513







6.

6

Qvod DEUS Bene Vertat!

THESES POLITICAS, De Majestate Principis Limitata,

P R A E S I D E

M. JOHANNE SARTORIO
Gymn. Thor. P. P.

ad ventilandum proponit

ANTONIUS Baumgarten
THORUNENSIS.

A. O. R. M. DC. XXCVI. d. 31. Jan.

THORUNI imprimebat CHRISTIANUS BEKK, G.T.





M

Ajesta Principis, qvem admodum Originem suam mediata DEO meritò debet, velut causæ primæ ac universalitatem cùm ad stabiliendam eam, mutuus imperandi ac parendi consensus requiratur; is verò absq; certa obligatione & pacto, inter imperantem ac parentes inito, concipi nequeat; non potest non ex hominum in Civilem Societatem coēuntium pactis resultare, iisq; proximam sui Originem debere.

I.

II.

Atq; à tali quidem pactorum ratione, diversimodè inter Principem ac Rempublicam inita, fundamentum illius distinctionis arcessendum est, qvâ Majestas in Absolutam & Limitatam dispescitur. Illa imperium administrat ex judicio proprio, non ad normam actorum & perpetuorum statutorum, sed prout præsens rerum conditio videtur exigere: unde Grotio (lib. 1. c. 3. n. 6. de J. B. ac P.) ejusmodi potestas summa audit, cujus actus alterius juri non subsunt, ita, ut alterius voluntatis humanæ arbitrio irriti possint redi. Hæc in exercendis suis actibus, certis statutis ac legibus restricta est, ita, ut horum intuitu Princeps Summitatem quidem Imperii obtineat; non tamen, prout Grotius loquitur, (l. c. n. 14.) habendi plenitudinem.

III.

Cùm enim non eodem modo Republicæ sese obstrinxerint; sed alia in discrimen vitæ adductæ, ut isto liberarentur, voluntates suas Principis voluntati permiserint; alia inopiâ pressæ alterius pleno dominio se subjecerint; alia jure belli arbitrio victoris cesserint; alia ad servitutem qvam libertatem aptiores, sponte cervices imperio tractandas inclinaverint; alia exemplis gentium, qvibus per secula plurima sub libero unius imperio satis feliciter datum fuit vivere, motæ, Absolutum Imperium præ limitato fuerint amplexæ; alia deniq; ratæ, non aliter se salvas esse posse, nisi libere

XVII - 5513 - II

liberè imperanti servant, ultro ad hujus nutum sese composuerint:
factum est, ut Majestas Principis talibus pactis & obligationibus,
velut radicibus innixa, magis magisq; potestatem in obligatos ex
sereret, nomenq; acciperet Absolutæ Majestatis.

IV.

Aliter cum Majestate Principis Limitata se res habet. Nam
cùm visum esset certis institutis, genio gentis & statui Reipubli-
cæ optimè congruentibus, modum negotia expediendi circumscri-
bere, placuit aliis Rebuspublicis tantam potestatem non ita ab-
solutè unius hominis arbitrio committere: sed potius certum mo-
dum imperii gerendi ipsi assignare, juxta qvem in delatione impe-
rii cum eodem Respublica convenit, ejusq; potestatem eatenus
limitat, ut ad certas leges fundamentales imperium gerat, ac su-
per negotiis, circa qvæ absoluta disponendi potestas ipsi non est
relicta, ad concilium Ordinum Regni referat, neq; citra istorum
consensum quid decernat: secus si factum fuerit, nolle cives jus-
sis ejus circa talia teneri,

V.

Itaq; Majestatis hujus Limitata ratio non in qvacunq; harmo-
nia, seu attemperatione Principis cum Regni Ordinibus consistit,
ut Illi libera imperii; His simplicis obseqvii gloria relicta sit: sed in
tali exercitio juris, qvod statutis ac legibus Reipublicæ fundamen-
talibus conforme est, qvas se integrè servaturum Princeps ex pa-
do qvodam jurisjurandi religione firmato promiserat, seq; juxta
eas Rempublicam administraturum sancte obstrinxerat. Qvæ Ma-
jestatis Limitatio tantò minus injuriosa potest esse in Principem,
qvantò facilius Illi fuerat, si grave videbatur imperium accipere,
qvod pro arbitrio gerere non potuit, istud paulo ante recusare.

VI.

Liqvet hinc, Principem ejusmodi non tantum non legibus Di-
vinis, & lege naturæ, sed ne qvidem legibus Regni fundamen-
talibus solutum esse. Cùm enim hæ leges norma ac regula audiant,
ad qvam Princeps modum regiminis sui componere debet, non
potest illis solutus haberi, qvantisper juxta normam hanc Regno
præst.

VII.

VII.


Neq; verò metuendum est, (qvod aliqui, nullam distinctionem inter Summum & Absolutum agnoscentes verentur,) Majestatem Principis per talem limitationem summā non fore. Hæc enim longè diversa sunt, ut monet Puffendorf. lib. 7. de Jure Nat. & Gent. c. 6. n. 10. teneor seqvi, qvod huic placet, qvia pacto me obligavi: & teneor seqvi hujus voluntatem, qvia pro imperio hoc mihi injungere potest. Prius de Majestate Limitata dici potest, non item posterius. Summum quoq; & absolutum nequaquam sunt unum & idem. Illud enim notat absentiam superioris: Hoc autem facultatem proprio ex judicio & arbitrio qvalecunq; jus exercendi,

VIII.


Qvin nec per ejusmodi leges fundamentales Summum imperium redditur mancum: Possunt enim in tali regno omnes imperii actus exerceri, qui in regno absoluto; nisi, qvod ibi Princeps suo judicio, saltem ultimo, utitur: Hic autem reqviritur mutua cum Ordinibus Regni deliberatio ac consensus, cujus fundamen-tum consistit in Majestate Reali illis coeva, qvam qui talibus Regni Ordinibus derogant, formam illius Reipublicæ non satis seqvi videntur.

IX.

Tandem nec istud metuendum est, limitatâ sic Majestate, Princi-pi aliqvid decadere, aut saltem infra Majestatem Absoluti Princi-pis Eum haberi. Excusit hunc metum Conarscius Episcopus Posna-niensis & Legationis ad Henricum Valesium habita Primas, dum laudatum Principem in Poloniae Regem electum, solenni sermo-ne ita alloqueretur: Ne ideò arbitrere, Te eā in parte infelicem haberis, qvia non in omnibus absolutus; gaude potius; felicissimus es: provisum eā communitate potestatis à Republica, nesui Re-ges, taxius legibus habiti, Civibus atq; adeò Reipublicæ nocere possint: ideoq; Tu, qvia nemini nocendo acerbus futurus, ab o-mnibus quidni meros amores expectas? aut (qvod proprium Re-gum Poloniae Symbolum) in sinu cujusq; civis tutus obdormire audebis. Vid. Andr, Maximil, Fredro in Gesl, Pop, Pol. sub Henr, Va-les, p. m. 120.



61275



1.010

6123
5

